

DE MOTU ECCLESIALI QUAESITA ET DUBIA

SUMMARIUM: In hoc studio tractantur quaesita et dubia circa consociationes christifidelium quae vocantur «motus» seu, uti in Gallia, «communitates novae». Quae ultima vox non videtur felix. Quaesita sunt varia de eorum natura et ab auctoritate dependentia, de membrorum in eis distinctione, formatione praesertim spirituali, de aliquorum eorum sodalium vocatione divina ad ministeria sacerdotalia vel diaconalia, de sustentatione eorum et de egressu vel dimissione. Nova etiam sunt consideranda puncta quae «oecumenica» dicuntur. Quae actio oecumenica videtur motui ecclesiali propria.

De his motibus pluries iam tractavimus¹, at plura in eorum varietate et amplitudine noviter investiganda sunt, examinanda et determinanda. Plures enim his ipsis motibus ponuntur quaestiones solvendae quae ad eorum vitam, expansionem et profundiorum actionem utiles, immo et necessariae videntur. Quae omnes hic non sunt tractandae et exponendae; remanent necessario selectae ob eorum pondus, quae maiores sunt et graviores.

1. SUNTNE MOTUS DIVERSI CLARIUS DISTINGUENDI UT SPECIFICE CONSIDERENTUR?

Jam tres distinximus species motuum, qui sunt alii spirituales, alii laicales, alii autem ecclesiales;

¹ *Istituti secolari e movimenti ecclesiali*, in *Aggiornamenti sociali*, 34 (1983) 187-200; *Motus ecclesiales*, in *Periodica* 75 (1986) 613-637; *Il nuovo diritto dei Religiosi e la vita associativa della Chiesa*, in *Vita consacrata* 24 (1988) 344-358; 827-839.

quae dicta hic non sunt repetenda². At, proh dolor! de his motibus remanent in usu hodierno plura saepius indistincta. Distinctiones illae non sunt, uti quidam dicunt, canonicae aut iuridicae; sunt simul et spirituales quae etiam theologice sunt considerandae. Inane est et periculosum spiritualia in charismate seiungere ab elementis societariis seu communitariis quae ut structurae sunt etiam canonicè considerandae.

Laicales sunt motus qui laicos coniungunt ut in laicatu ut laici agant et laicos ad pleniorē vitam ducant christianam in Ecclesia et in mundo ducendam.

Spirituales sunt qui non sunt laicorum tantum sed aliorum etiam Christifidelium qui ad vitam interiorem profundiorē ducunt. Inter sodales obtinent et laicos et religiosos et sacerdotes, etiam dioecesanos.

Ecclesiales recte dicuntur qui omnes Christifidelium ordines obtinent et coadunant ut *vitam Ecclesiae* in suo mysterio plenius vivant iuxta varia eiusdem mysterii elementa selecta sed maiora uti sunt Verbum Dei, Communio ecclesialis, actio communis etiam specialis, Amoris divini donum et testimonium. Quae elementa talis consociationis specifica videntur. Insuper miro modo in mundo hodierno sparguntur qui nulla alia auctoritate videntur dirigenda nisi universalis Ecclesiae iuxta dicasteriorum Curiae romanae competentiam et iurisdictionem vicariam qua nomine Summi Pontificis discernunt et agunt.

At nova sunt discernenda. Alii sunt motus qui varios coniungunt personarum ordines sed ab unoquoque independentes ut facilius propriam sequantur viam et actionem distinctam habeant; sunt autem et

² Cfr. J. BEYER S.J., *Motus ecclesiales*, in *Periodica* 75 (1986) 613-637; vide pp. 620-621.

alii qui a primo coetu quodam diriguntur et animantur. Quibus in consociationibus videntur alii ordines personarum dependere a primo et directivo, qui est vel vitae consecratae vel etiam sacerdotalis. Quae figura videtur proxima ei quae alicuius Tertii Ordinis saecularis est propria prout ille plus minusve a primo Ordine regularium dirigitur vel saltem inspiratur. Quae forma interna motus ecclesialis aliam posset inducere in Dicasteriorum competentiam.

In primis quae structuralia sunt a spiritu motus dependent et definiuntur. Theoretice autem melior videtur structura autonoma totius motus, quin alii omnes in eo personarum coetus ab uno vitae sacerdotalis vel consecratae dependeant coetu directivo.

2. A QUONAM DICASTERIO DEPENDEANT ILLI MOTUS ECCLESIALES: QUAESTIO PRASERTIM OB PROMULGATIONEM CONSTITUTIONIS APOSTOLICAE «PASTOR BONUS» DE CURIA ROMANA RENOVANDA, EST SOLVENDA.

Si motus est laicorum a «Consilio pro laicis» dependeat oportet; si spiritualis simul et laicorum, idem; sed si congregantur in uno motu ordines varii personarum immo et omnes, plura sunt specificanda. Nam, vi Constitutionis «Pastor Bonus» competentia de vita consecrata una est pro Ecclesia latina quae est Congregationis de Institutis vitae consecratae³. At ob vitam consecratam quae in eo habetur, non dependet

³ Titulus Congregationis longus nimis, melius realitati est aptandus. Rectius dicitur «Congregatio de vita consecrata» quae vita tam individualis est quam associativa in institutis. Societates vitae apostolicae, si non sunt vitae consecratae, melius et rectius ab alio dependeant dicasterio, uti iam fit pro societatibus missionalibus (Pastor Bonus, art. 90 § 2).

totus motus ab una hac Congregatione. Cum saepius plures sunt personarum in motu uno ordines, videtur in his motibus approbandis, erigendis et ulterius adiuvandis, applicari posse norma in Constitutione «Pastor Bonus» expressa qua pro negotiis, quae sunt plurium dicasteriorum competentiae, convocari potest «Commissio interdicasterialis»⁴, vel, si haec negotia sunt eadem et continuo tractanda, commissio stabilis⁵. At ut melior et magis competens de his motibus fiat tractatio instituenda, aliquando erit Consilium vel Commissio quae de his approbandis, erigendis et adiuvandis sit unice competens; quae tamen iuxta materiam alia audiat dicasteria v.g. de vita clericali et consecrata, de apostolatu laicorum, de activitate missionaria, de oecumenismo, de Ecclesiis orientalibus etc. Quae nova institutio continuo apparet optata et vere necessaria ad pleniorum motuum recognitionem.

3. DE MOTIBUS APPROBANDIS VEL ELIGENDIS COMPETENTIA IUXTA C. 312 § 1.

Cum canones de consociationibus applicari debent motibus ecclesialibus, quaestio de competenti auctoritate ponitur ad mentem c. 312 § 1. Ipse canon est difficilis interpretationis. Estne consociatio «dioecesana» ratione facti vel ratione finis?

Facti species haec est: Consociatio fundatur in aliqua dioecesi; primo tacite agnoscitur, cum Episcopus eius cognoscat vitam et actionem. Potest erigi uti consociatio privata quin Episcopus active agat vel consociationem erigat (c. 299 § 1; 321). Ut persona

⁴ A.A.S., 80 (1988) 841-934. Vide p. 865, art. 21 § 1.

⁵ A.A.S., 80 (1988) 841-934. Vide p. 865, art. 21 § 3.

iuridica sit, eius statuta approbanda sunt quin consociationis fiat erectio (c. 322 § 1). Remanet autem consociatio in dioecesi. Estne dioecesana de facto tantum vel etiam de iure? Mens fundatoris est perspicienda. Si fundata est consociatio ut in una hac dioecesi agat, et quidem ratione finalitatis, v.g. ad devotionem vel cultum in hac dioecesi fovendum, non tantum de facto sed de iure est et remanet dioecesana. Cum omnis consociata actio plerumque in uno solo incipiat loco, semper initio erit de facto dioecesana. At de intentione fundatoris, de eius associationis indole et fine inquirendum est.

Idem videtur dicendum esse de consociatione quae in territorio nationis agere velit et in hoc solo territorio. Erit in casu initio dioecesana, de iure nationalis. Quae si ab initio nationalem actionem peragere velit et prosecui, ab Episcopo loci primo, postea ab ipsa Episcoporum conferentia nationis est approbanda. Quaeritur iam utrum talis ab Episcoporum conferentia approbatio sit felix necne. Non sine rationibus videtur potius infelix. De his rationibus infra agemus sed prius haec sunt examinanda: potestne directe ab Episcoporum conferentia approbari associatio quae ab initio actionem incipit nationalem? Et responsio vi verborum Codicis est dicenda *affirmativa*. Tres enim distinguuntur auctoritates ad approbationem: una dioecesana, altera nationalis, tertia internationalis seu universalis. Nullo tamen modo hic considerantur gradus successivi. Non est ergo necessaria approbatio ab una vel pluribus Episcoporum conferentiis ut associatio possit recognitionem vel erectionem ab auctoritate competenti pro consociationibus internationalibus seu universalibus obtinere. Quae auctoritas est Sedis Apostolicae quae pro consociatione clericali est «Congregatio pro Clericis», pro

laicis «Consilium pro laicis», pro motibus ecclesialibus qui ordines personarum plures vel omnes obtinent, auctoritas, uti speratur, mox determinanda.

4. POSSUNTNE MOTUS ECCLESIALES UTI PRAELATURAE ERIGI?

Nonnulli tentantur ut erectionem motus ecclesialis ut praelaturae personalis obtineant. Tali modo, si directio est praelati, habetur in ipso motu exercitium potestatis regiminis seu iurisdictio, pro clericis autem erectio seminarii internationalis vel plurium seminariorum in variis dioecesibus. Dicasterium competens universalitati motus videtur multis magis correspondens, nempe «Congregatio pro Episcopis» a qua miro tamen modo dependet praelatura personalis quae de se clericorum est et, uti dicunt, melius et rectius a «Congregatione pro clericis» dependeret.

At plura sunt huic proposito contraria. Praelatura est formaliter clericorum, immo et presbyterorum, cui conventionem cum ea peracta, operibus apostolicis praelaturae connectuntur laici, viri et mulieres. Quae connectio laicorum *cooperatio organica* in textu Codicis dicitur. In schemate autem anni 1982 dicebatur «incorporatio». Quae incorporatio de se negatur, si natura sua praelatura est clericorum, ad aptam presbyterorum distributionem promovendam vel ad peculiaria opera pastoralia vel missionalia pro variis regionibus aut diversis coetibus socialibus perficienda. Quae definitio vel descriptio praelaturae eam ita coarctat ut in parte Ia libri «*De Populo Dei*» reponatur et quidem post titulum III «De ministris sacris seu de clericis». Quae omnia elementa contradicunt naturae propriae motus ecclesialis in quo omnes personarum ordines coadunantur et singuli proprio iure et

titulo cooptantur, cuius apostolica actio est universalis non ad pastoralia opera limitata sed omnibus coetibus socialibus aptata.

Cum existat praelatura personalis — unica hodie in Ecclesia — etiam prout in Codice describitur, apta forma canonica non videtur qua motus ecclesialis suam obtineat identitatem, quae eius naturam et finalitatem et spiritui et indoli consentaneam structuram canonicam exprimat. Error ergo esset gravis motum ecclesialem ad erectionem in praelaturam personalem adducere.

Sunt enim et alia obstacula et impedimenta conspicienda ne fiat motus ecclesialis praelatura personalis: directio totius motus esset clericalis, actio conventionem suscepta, non laicis spontanea diceretur, spiritualitas praeprimis a clericis et pro eis elaboranda et diffundenda, indirecta in Ecclesia laicorum collaboratio, cum actio motus primo cum praelaturae actione pastoralis esset consocianda ab eaque dependeret. Quae omnes rationes eo magis urgent ne suscipiatur pro motu ecclesiali forma structuralis praelaturae, quo minuatur character eius proprius, de se universalis, omnibus christifidelibus consentanea.

Quid si numero maiores sunt in praelatura laici quam clerici? Non sine periculo est clericos in ea efformari modo magis laicis quam ministris consentaneo, praesertim si sodales, ut fiant sacerdotes, prius ut laici cooptantur et efformantur, et sacerdotalem eorum actionem inter sodales laicos praelaturae peragendam suscipiant quin in clero saeculari plene assumantur in dioecesi vel alia Ecclesia particulari, dioecesi iure aequiparata (cc. 368-374).

Concludi potest formam praelaturae personali propriam in iure non esse felicem, immo non aliis fere similibus consociationibus aptandam.

5. SUNTNE MOTUS ECCLESIALES ITERUM ATQUE ITERUM ERIGENDI IN DIOECESIBUS IUXTA C. 312 § 2?

Motus ecclesiales initio saepius non omnes et singulos coadunant ordines personarum; eorum actio fit primo localis et quidem una in dioecesi. Unde eorum prima approbatio fit ab Episcopo, qui conatus et actionem motus laudare, imo commendare possit. Quae si motus propria statuta iam habeat, non necessario ab Episcopo sunt approbanda, nisi motus incipiens sat cito personalitatem iuridicam in Ecclesia obtinere velit (c. 322 §§ 1-2). Etsi obtineat hanc exoptatam personalitatem iuridicam, remanet motus, qua consociatio, consociatio privata (c. 322 § 2). Notanda initio plura: vigilantia Episcopi propria eius muneri Pastoris, dispersio virium vitanda ob curam ab Episcopo praestandam, ordinatio consociationis eiusque activitatis ad bonum comune, quod Ecclesiae universalis sit oportet.

Sed urget quaestio in lege de consociationibus non considerata, hodie magis perspicienda et quidem recta analogia servata cum institutis vitae consecratae noviter condendis iuxta c. 605. Qui canon 605 pro vita hodierna Ecclesiae semper fit maioris momenti.

Motus ecclesiales ob eius actionem et spiritualitatem non haberi potest sine speciali dono Spiritus; quod donum est charisma eius. Immo multi motus notas obtinent plures similes quibus specialem communemque inter sese et alios obtinent naturam et finalitatem. Unde recte haec sunt servanda: ob charismata recognoscenda et recognita propria eis iustaque autonomia est recognoscenda de qua c. 586. Quae iusta eorum autonomia, non tantum ab auctoritate dioecesana servanda est et tuenda, immo ad bonum Ecclesiae fovenda est ut motus sint quod esse debeant

(c. 586 § 2), et etiam ab ipsa Sede Apostolica (c. 593), si motus ecclesialis aliquis consociatio sit universalis, ab auctoritate universali i.e. S. Sedis erigenda vel erecta (c. 312 § 1, 1°).

Vi canonis 605, primus qui de natura, valore et veritate charismatis iudex erit, est ipse Episcopus dioecesanus qui proximitate et vigilantia haec nova Spiritus dona agnoscat oportet. Analogia cum eisdem institutis vitae consecratae servata, et suppressa approbatione ab Episcoporum conferentia in schemate de iure vitae consecratae stabilita, optimum est ut altera approbatio lege nova reservetur soli Sedi Apostolicae, uti fit iuxta cc. 579, 589, 593 pro novis vitae consecratae institutis.

At in c. 312 § 1, 2° praevidetur et statuitur alia recognitio et approbatio, quae sit Conferentiarum Episcoporum. Qui Episcopi, si numero maiores, difficulter charismata agnoscere possunt quae ignorant atque relatione quadam scripta vel orali agnoscere debeant. Sed, uti iam diximus, illa recognitio vel approbatio ab Episcoporum conferentia non est necessaria, si finis motus ab initio declaratur ut universalis. Unde ut haec nota universalitatis melius et citius agnoscat, utilis est motus propagatio et actio variis in nationibus. Quae solutio non est iuridicum subterfugium, sed spiritualis simul et pastoralis via vitae.

Concludendo haec proponenda videntur clara: si consociatio in aliqua dioecesi nascitur, ab Episcopo loci recognoscatur; si in pluribus dioecesibus iam agat, ab uno et primo Episcopo agnita, iure existit et agit; ut sedes autem vel centrum in alia dioecesi constituat, approbatione ad hoc centrum condendum ipsius Episcopi loci indiget consensu, si est publica; non autem si privata remaneat et tamen personalitate iuridica in dioecesi foundationis iam gaudeat. Si fine sit

dicenda et intentione universalis, quam primum alias in nationes sese extendat oportet et Sedis Apostolicae obtineat approbationem, qua fiat vel consociatio publica vel ab eadem Sancta Sede laudetur. Quo etiam in casu ut privata consociatio consideranda est. Quae si iam habeat personalitatem iuridicam in una dioecesi, haec nota iuridica ipso iure est valida in tota Ecclesia.

6. QUAENAM SINT IN HIS MOTIBUS ECCLESIALIBUS VITAE CONSECRATAE NATURA ET INSTITUTIO?

Hodie certo certius plures sic dicti motus ecclesiales unam et saepius plures obtinent vitae consecratae sectiones de quarum natura, approbatione et individualitate sermo fit et clarior semper exoptatur in lege Ecclesiae positio et nova recognitio. Facta enim non sunt neganda vel recusanda, sed agnoscenda.

Haec hodie iam certa sunt dicenda: sunt in his motibus variae formae vitae consecratae, uti sunt virgines et viduae in mundo degentes, alii simul conviventes, quae propriam teneant vitae rationem vel regulam vitae. Sunt aliae quae simul magis solitariae vitae sunt orantes, aliae quae sunt vitae apostolicae, aliae denique quae ad modum instituti saecularis sodales habent in saeculo et veluti ex saeculo agentes, soli vel propria vita associativa coadunati.

Prima earum omnium sectionum vel coetuum in uno motu est difficultas, immo et periculum vitandum. Vitae formae diversae distinctio ne fiat separatio et unitatis debilitatio. Quae separatio hodie fit approbatione propria, etiam a dicasterio diverso, sub diverso quidem nomine. Quae paulatim in motu ecclesiali gignunt divisiones. Unde experientia plura clariora fiunt.

Vitanda est pro diversis sectionibus diversa denominatio, immo vitanda a pluribus dicasteriis separata approbatio. Diversitate approbationis debilitantur totius motus et sectionum omnium unitas et spiritus. Immo, ut habeatur propria seminarii sacerdotalis constitutio, alii fiunt motus sectiones societates vitae apostolicae, diverso nomine ac nomine motus ecclesialis earum approbatio; generalis autem denominatio videtur omnino servanda; alii quaerunt quin inveniant faciliorem approbationem uti vitae monasticae vel apostolicae religiosorum vel religiosarum quaedam institutio quae hucusque negatur, nisi sit autonoma et plene distincta, etiam aliquando alio nomine insignita. Recenter sectio v.g. alia contemplativa et alia apostolica sub uno eodem nomine Congregationis religiosae est approbata. Quae approbatio naturae, fini, spiritui et indoli propriae sectionis nocet i.e. proprio charismati tum motus, tum sectionum.

Si plures sunt in eodem motu «sectiones» vel «coetus» vitae consecratae, plura sunt studio et oratione primo contemplanda. Servanda praeprimis est spiritus motus unitas eiusque tuendus finis generalis proprius. Non contraria indoli motus est diversitas vocationum. Immo haec diversitas sit simul spiritualis et institutionalis. Institutio sine spiritu non correspondet proprio atque vero charismati motus ecclesialis. Iam hodie habentur statuta sive particularia quae nimis sunt iuridica et divitiis charismatis generalis non respondent. Quae nimis iuridica spiritui fovendo et servando nocent, quia spiritui non correspondent; immo nimis iuridica statuta extollunt institutionalia supra spiritualia vel spiritualia ab institutionalibus elementis nimis distinguunt vel separari coguntur. Quod maximum est hodiernum motuum ecclesialium discrimen, immo et periculum. Quod periculum non

vitatur, nisi servetur unitas nominis, spiritus, actionis et directionis generalis. Quae ultima necessitas unitatis in directione generali est motibus propria, recte instituenda et clare definienda.

7. QUOMODO APPROBANDA ET STATUENDA QUAE SUNT IN MOTIBUS ECCLESIALIBUS SACERDOTALIA? SUNTNE EORUM SEMINARIA FOVENDA? POSSUNTNE IN SEMINARIO QUODAM DIOECESANO VETARI MOTUS PARTICIPATIO ET EIUS CHARISMATIS AGNITIO SEMINARISTIS DIOECESANIS? QUOMODO EST PRAEVIDENDA ET FOVENDA CUM CLERO DIOECESANO EORUM COLLABORATIO?

Plures ponuntur hodie in motibus ecclesialibus quaestiones circa incardinationem iuniorum in clero dioecesano, praesertim quoad multas in eis ad sacerdotium vocationes, quae in eis florescunt, dum pluribus in dioecesibus semper magis desunt vocationes ad clerum dioecesanum. Unde haec nobis sunt attentius considerata.

Uti vidimus, una solutio neque sanior, neque melior, fuit erectio sectionis motus ecclesialis in societatem vitae apostolicae, qua habentur in societate incardinatio, apta in seminario proprio formatio, deputatio in servitium sacerdotale in motu ipso exercendum, formatio iuniorum tum candidatorum, tum presbyterorum iuxta ipsius motus charisma proprium. Quae non sunt minuenda. Valorem haec habent, qui est proprii charismatis. Unde primae quaestioni haec sunt respondenda: videntur de se fovenda propria seminaria ut habeatur in ipso motus spiritu vera, plena et profunda formatio sacerdotalis. Quae sunt proficua tum ipsi motui ecclesiali, tum ipsi Ecclesiae cui omnia dona Spiritus inserviunt nova.

Difficilior autem responsio secundae quaestioni,

nam si nova reveantur dona Spiritus Sancti, difficulter impediri potest eius actio quin Ecclesiae ipsi afferatur nocumentum. In clero dioecesano habetur spiritus libertas recognita et hucusque tuenda. Sunt enim iuniores seminaristae et neosacerdotes, qui vel Terti Ordinis sunt sodales libere, vel ut diaconi vel presbyteri dioecesani ingrediuntur in sacerdotale institutum saeculare, quod eis est in Spiritu donum et vocatio personalis sequenda.

De se, motui ecclesiali non sunt neganda quae aliis consociationibus pietatis, devotionis, vitae spiritualis fovendae recognoscuntur, immo et saecularibus institutis, quae vel sacerdotalia, vel ministerialia sunt, vel etiam cum laicis mixta. Immo, in seminario et in clero dioecesano habentur, admittuntur sodales «oblato» praelaturae personalis, quae hodie una est Operis Dei (cc. 294-297).

Sed quaestio profundius est indaganda. Habetur-ne proprius spiritus uniuscuiusque seminarii dioecesani vel interdioecesani? Estne aliqua recognoscenda vita «dioecesana» cum propria sua identitate spirituali? Estne dioeceseos etiam iusta autonomia servanda, vel melius hodie instauranda, determinanda et tuenda?

Non potest non haberi in dioecesi vita propria quae initium sumpsit in fundatoribus eius, crevit in vita spirituali et in actione pastoralis eminentium sacerdotum, Episcoporum et presbyterorum; quae omnia, si dona Spiritus sunt, servanda, inculcanda et elucidanda sunt. Plerumque, pro dolor! deest de his elementis praepriis spiritualitatis propriae conamina et studia. Unde iuniores qui primo fuerunt motus ecclesialis sodales, non sine ratione conqueruntur de absentia spiritus in seminario dioecesano. Qui iuniores, antequam seminarium dioecesanum ingressi sunt, meliorem secuti sunt in motu

ecclesiali viam spirituales quam prosequi volunt, ut propriae personalisque vocationis signum et emolumentum. Quae omnia non neganda sunt; vera enim agnoscuntur in seminariis dioecesanis et, a fortiori, in seminariis interdioecesanis in quibus difficulter fit distinctio inter dona propria dioecesium, quando totus et primus conatus est unitatis in doctrina, disciplina, praeparatione spirituali et pastoralis. Quae, etiam hodie, vera sunt et non neganda.

At remanet fundata responsio *negativa*: in seminariis dioecesanis et interdioecesanis non est impedienda actio Spiritus Sancti, non neganda sunt charismata nova. Quid si in ipsa dioecesi fit conamen ad proprium spiritum dioecesanum spiritualiter et pastoraliter fovendum?

Huic questioni clare respondendum est: ne admittantur iuniores qui alio sunt ducti spiritu. Fovenda est eorum propria in ipso dono Dei formatio ut sint et ipsi fideles et firmiores in via vitae suae.

Quid concrete faciendum? Plures dantur iam hodie huic difficultati solutiones. Approbantur «convictus» in quibus consociantur iuvenes qui, motus ecclesialis sodales, sese ad sacerdotium praeparant; sequuntur lectiones alicuius facultatis vel scholae ut auditores, quin sint alumni saeculares vel religiosi sed Deo tamen consecrati.

Apparet autem haec solutio favorabilis. Romae in Urbe iam dantur convictus tales, immo etiam aliunde; immo ut clerici incardinantur alumni ad diaconatum promovendi in aliqua dioecesi quin pleno iure fiant e clero dioecesano sodales et laboris participes. Quae incardinatio «ad tempus», uti speratur, fictitia remanet usque in diem qua incardinatio in sectione sacerdotali ipsius motus ecclesialis fiet normaliter. Quae incardinatio mox fiat oportet.

Exsurgit etiam alia quaestio: si tot sunt in motibus ecclesialibus vocationes sacerdotales quid de clero dioecesano fovendo et parando? In necessitate certo certius e motu ecclesiali habebuntur sacerdotes, qui non-religiosi, Deo tamen speciali titulo consecrati, adiutorio erunt Episcopo dioeceseos, qui tales exoptat et recipit coadiutores presbyteros, plene Deo et Ecclesiae deditos. Non alia erit in eis recipiendis via ac ea quam tenent Episcopi qui religiosos in actionem pastorem exercendam in paroeciis aliisque diocesanis operibus advocant et accipiunt. Eis analogice sunt applicandi canones 680-682.

His factis recentioribus quaedam magis eluscent circa formationem cleri dioecesani considerata. Exoptatur melior intelligentia proprii cleri dioecesani spiritus, qui non est generalis aliqua de sacerdotio doctrina sed quae exprimit quod in Ecclesia particulari vivitur et agitur iuxta ipsius Ecclesiae localis traditionem. Quae traditio expresse est explicanda et concrete servanda.

Non iam dici potest hodie deesse vocationes ad sacerdotium; sunt enim in dies numerosiores. Exoptatur autem in unaquaque dioecesi nova proprii cleri imago, extruatur autem iuxta illam propria accommodata spiritualitas et promoveantur inter sacerdotes fraternitatis propriae structurae et strictior collaboratio. Saepius iam exoptabatur firmior vita communis inter sacerdotes plures, qui paroecias in solidum vi canonis 517 § 1 curare debeant, sub ductu unius moderatoris, qui actionem coniunctam dirigat et de eadem coram Episcopo respondeat. At vita communis ducenda ad mentem canonis 280 nonnumquam deest; ad eam inter sacerdotes servandam non sufficit nominatio ad eundem laborem apostolicum peragendum; necessaria est eorum praevia formatio ad hanc

vitam communem ducendam; quae formatio saepius vacua et externa fit, nisi adsit spiritus proprius iam tempore primae formationis, et in tota dioecesi aliqua mens communis de hac vitae communis natura et utilitate habeatur et foveatur.

Immo, haec ex ipsa motuum ecclesialium experientia notanda sunt: mens communis non habetur quae sit lege externa tantum fundata; oritur e vita spirituali, e dono Spiritus, e modo quo huic dono sit aptata vita, elaboranda et profundius semper intelligenda. Sodales motus ecclesialis religiosi non sunt; sunt autem pro clero dioecesano viva exempla talis vitae communis; quae vita communis omnis operis apostolici est sustentatio firma et valida corroboratio.

J. BEYER, S.J.

(Continuabitur)